1158 lorica sua quoquo modo superposita dorso suo tamquam securus spaciando deambularet, Mediolanensis super eum irruit militia. Alii tam subito et inopinato rei eventu perterriti subterfugiunt, ipse vero nobilis princeps Herkenbertus hec considerans cum eis pugnaturus de suo descendit dextrario. Aliis subterfugientibus paucis scutiferis et suo agasone, viro nobili et strennuo milite, eum iuvante supranominatus princeps a Mediolanensibus victus humi prosternitur. Supradictus marscalcus eius, ne interficiatur, armis prohibet, qui cum ipso interficitur. Abbatie supradicte monachi, ne corpora tantorum virorum a bestiis consumantur, pietate ducti in monasterium deportant. Quorum carnes ibi sepulte fuerunt, ossa, miserabile obsequium, in terram eius sunt deportata.[1] Ibidem Diva, miles strennuus, qui super Aduam flumen mortale vulnus acceperat, sepelitur.[2] Hec fama ad aures domni imperatoris pervenit, unde maximo dolore commotus plus in Mediolanenses sevit; ut in arma ad signum domni imperatoris tota sua militia sit preparata, indicitur. Dies oritur

Aug. 6 multis mortem, multis apportans victoriam. In campis planissimis iam ante Mediolanum exercitibus aptissimis ad bellum imperiales armantur exercitus. In prima

'rog. ea ?

1) Necr. Admunt. zu Aug. 5 (MG. Necr. II, 300): Eggebertus comes occisus. Der Vorfall wird auch von Rah. III, 33, S. 207 u. Chron. Reg. Col. S. 98 berichtet. Auch Otto Mor. 53 berichtet zum 5. Aug. von einem Gefecht. Überall wird betont, daß Ekbert aus großer Ruhmsucht und ohne kaiserl. Befehl gehandelt.

2) Non. Aug. Diva comes frater noster. Necr. Podlaicense b. Dudik, Forschungen in Schweden, S. 418 (Watt.)